

Sacræ textum recipiebant. In Oriente multi etiamnum reperiuntur Judæi Caraitæ. Denique, Rabbanistæ erant hi Judæi, qui legem oralem, seu traditiones, omnemque Rabbiorum expositiones obvis ulnis excipiebant, atque in summo pretio habebant. Horumque Rabbanistarum Secta perseverat in Judæis, qui per totam Europam sunt dispersi. Sed has Judæorum Sectas levi brachio attigisse, sat superque sufficiat.

D. Judæorum Sectas modo compertas habeo. Quapropter hoc unum superest, quod a te edoceri cupio; videlicet, quid apud Judæos Profelytorum nomine intelligendum veniat?

M. Duo apud Judæos erant olim Profelytorum genera. Alii siquidem erant Profelyti ex *Justitia*, sicut loquuntur Rabbinii; alii ex *Domicilio*. Profelyti ex *Justitia* erant hi, qui Ethnicis superstitionibus relictis, hoc pacto Judaicæ Religionis mysteriis initiabantur. In primis, circumcidebantur, deinde, quodam suo Baptismo abluebantur, & denique, vero Deo sacrificium offerebant. Mulieres vero, quæ Idololatriam detestantes, Judaicam Religionem amplecebantur, omnia circumcissione, per Baptismi susceptionem, & Sacrificii oblationem Profelytarum sceminarum numero accensebantur. Hi Profelyti, uti docent Rabbinii, omnia legis Mosaicæ præcepta, non secus ac Judæi, observare tenebantur. Idque non obscure colligi posse videtur ex multis locis Scripturæ sacræ, Levitici cap. 16. v. 19. ubi dicitur: *Mense septimo, decima die Mensis affligeris animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena, qui peregrinatur inter vos.* Nomine autem *indigena*, seu *advena*, de quo ibi loquitur Scriptura sacra, indignantur hi, qui apud Judæos erant Profelyti ex *Justitia*, quibus, perinde ac Judæis legem Mosaicam observandi onus incumberebat. Idem circa illos Profelytos ex *Justitia* statutum legimus Levitici cap. 17. v. 9. & 10. & cap. 25. ejusdem libri v. 5. & 6. Exodi cap. 12. v. 48. & 49. & lib. Numerorum c. 15. v. 13. & 14. At vero Profelyti ex *Domicilio* dicebantur illi, qui excussis Idololatriæ tenebris, in societatem Judæorum admittebantur, neque tamen circumcidebantur, aut Baptismo tingebantur, sed tantum coram tribus testibus Judæis sese adstringebant ad observationem septem mandatorum juris naturalis Gentium, quæ Judæi appellare solebant *septem mandata Noachidarum*, seu filiorum Noemi. Quorum primum prohibet Idololatriam. Alterum præcipit, ut laudetur sanctissimum Dei nomen. Tertium, Homicidium damnat. Quartum, Adulterium & Incestum vetat. Quintum, cavet ne quis furtum faciat. Sextum, statuit jus unicuique esse reddendum, & Magistratibus justitiæ arbitris obtemperandum. Ultimum, jubet a carne ab animali adhuc vivo præcisâ omnino esse abstinendum. Ad hæc, inquam, tantum septem juris naturalis Gentium observanda præcepta obstringebantur illi, qui apud Judæos Profelyti ex *Domicilio* dicebantur, & ab aliorum legis Mosaicæ præceptorum observatione liberius erant, sicut innuit Scriptura sacra cap. 14. libri Deuteronomii v. 20. & 21. *Omne, quod est mun-*

dum, comedite, quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. *Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei, quia tu Populus sanctus Domini Dei tui es.* Ubi Scriptura nomine *Peregrini* indicat Profelytum ex *Domicilio*, qui apud Judæos degens poterat vesci morticinio, cujus tamen esus Judæis erat lege prohibitus. Cæterum, quamvis hi Profelyti ex *Domicilio* nec Judæi essent, nec legem Mosaicam observarent, eos tamen Judæi tamquam viros probos in suam societatem admittebant, quin & illos æternam salutem consequuturos non dubitabant, si hæc septem juris naturalis Gentium mandata, quæ mox recensui, sedulo observarent. Alios autem homines, qui nec ex justitia, nec ex *Domicilio* Profelyti erant, a sua societate Judæi penitus arcebant, nec eos in Judæa habitare ullo pacto permittebant; immo, si aliquos ejusmodi homines in Judæa domicilium habentes offendissent, illos tuta & inculpata conscientia a se interfici posse autumabant. Sed plura de his Judæorum Profelytis leges, si per otium vacet, apud *Seldenum* in libro, quem edidit de *Jure naturali & Gentium*.

D. Satis de calamitatibus Judæorum, eorumque Sectis, & Profelytis sermonem texuimus; nunc transitum faciamus ad historiam Hæresum, quæ tribus primis sæculis Ecclesiam Christi infestant, quarum exordium, progressum, atque interitum, ut mihi dilucide exponas, te etiam atque etiam rogo.

M. Annuo lubentissime. Sed ne longius protrahatur hodiernum nostrum colloquium, finem huic imponamus, & Historiam Hæresum, quæ tribus primis sæculis Ecclesiam Christi exagitarunt, opportunius ad proximum colloquium remittamus.

COLLOQUIUM IV.

In quo textitur Historia Hæresum, quæ tribus primis sæculis Ecclesiam infestant.

D. Juxta illam expeditam methodum, quam in tradenda mihi historia Ecclesiastica notitia te principio secuturum spondisti, nunc recto sequitur ordine, ut differas de Hæresibus, quæ tribus primis sæculis in Ecclesia pullularunt. Sed cum necdum satis compertum habeam, quid sibi velit illud Hæresis nomen, expone prius, quæso, quid sit Hæresis?

M. Hæresis, juxta tritum, qui nunc apud omnes obtinet, loquendi modum, dicitur societas hominum, qui mordicus adherent erroribus disseminatis ab aliquo Hæresiarcho, seu alicujus Sectæ Antesignano, quique pertinaciter aliquem Fidei articulum in Ecclesia Catholica receptum oppugnant, definitionibus Ecclesiæ parere detrectant, ejusque doctrinam falsis dogmatibus corrumpunt. Quapropter, inter Hæresim & Schisma hoc interest discriminis, quod Hæresis annexum semper habet perversum aliquod dogma; Schisma vero propter Episcopalem dissensionem, vel ob aliqua disciplina capita ab Ecclesia Catholica separat. Hinc Hæretici dicuntur illi, qui ab Ecclesia se-

paran-

parantur, postquam in dogmatibus fidei jamjam dissenserunt. Schismatici autem appellantur ii, qui ab ipsa inchoantes separatione, infesta deinde adjecerunt dogmata. Uno verbo, Hæreticus est, qui non sequitur Catholicam unitatem; Schismaticus est, qui non amplectitur Catholicam pacem, ait S. Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 3. De Hæresibus, quæ in Ecclesia exortæ sunt, accurate tractant S. Irenæus in libris adversus Hæreses, *Tertullianus* in lib. de Præscriptionibus Hæreticorum, S. Epiphanius in lib. de Hæresibus, S. Augustinus in lib. de Hæresibus ad *Quod vuli Deum*, Theodoros in libris Hæret. fab. S. Damascenus, & Philastrius in lib. de Hæresibus, ex quibus hauriam quidquid de Hæresibus, quæ in tribus primis sæculis in Ecclesia eruperunt, in hoc colloquio dicturus sum.

D. Quandonam in Ecclesia Hæreses suboriri cœperunt?

M. Epocha, a qua duci debeat origo Hæresum, certo præfigi haud potest. *Hegesippus* antiquissimus auctor citatus apud Eusebium affirmat, Hæreses dumtaxat in Ecclesia enatas esse post martyrium S. Jacobi Justi Episcopi Hierosolymitani, sub Pontificatu Simeonis filii Cleophæ, hoc est, post annum Christi sexagesimum. Tunc enim, ut ait idem auctor, quidam *Thebutis* nomine, ægre ferens, quod in Episcopatu, quem ambiebat, repulsam fuisset passus; peregrinis, falsisque doctrinis Christianos a vera fide diducere, & a cœtu fidelium dissociare cœpit. Quis autem fuerit ille *Thebutis*? vel e qua Patria oriundus? quamve sparserit Hæresim? in occulto est, & altum apud Historicos silentium: Vero quam simillimum videtur, hunc Hæresiarcham nullos natum esse Asseclas, ac sabinde nulli sectæ suum indidisse nomen. *Clemens Alexandrinus* lib. 7. Stromatum, pag. 549. originem Hæresum, quæ emerlerunt in Ecclesia, refert ad tempora Hadriani Imperatoris; nec ab ea sententia abhorret *Eusebius* in Chronico, ubi sub eodem Imperatore multarum Hæresum constituit exordium.

D. Est ne accurata hæc Clementis Alexandrini & Eusebii de origine Hæresum allata Epocha?

M. Altius repetendam esse originem Hæresum, ex eo maxime liquet, quod *Simon Magus*, qui vulgo primus in Hæreticorum grege numerari, eorumque primipilus, ac Coriphæus audire solet, suam sectam, ex qua complures antiquiores Hæreses, velut ex virulento fonte scaturierunt, longe ante Hadriani Imperatoris tempora conflaverit. Hinc est, quod periti historia Ecclesiastica authores numerent quinque Hæreses, quæ in primo Ecclesiæ sæculo grassatæ sunt, quarum prima est *Simonis Magi*; altera, *Melandri* ejusdem Simonis Magi discipuli; tertia, *Nicolaitarum*; quarta, *Cerinthi*; quinta, *Ebionitarum*. Has Hæreses ut tibi ordine exponam, incipio ab Hæresi Simonis Magi, qui Gitthis Samaritæ vico oriundus, præstigiis suis, ac magicis artibus, quas apprime callebat, postquam Samaritanorum animos sibi devinxisset, eo demerentia prorupit, ut palam diceret, se esse *magnum Dei virtutem*. Sed a Philippo, uno ex septem Diaconis, Samaritæ prædicante & doctrinam suam stupendis prodigiis ac miraculis confirmante, ad fidem Christi conversus, & cum aliis Samaritanis salutari lavacro expiatus, Phi-

lippo sese adjunxit. Cum vidisset autem Simon Magus, quod ad manuum impositionem Apostolorum Petri, & Joannis, qui Samaritiam missi fuerant, Spiritus Sanctus in fideles baptizatos illaberetur, eandem potestatem, qua Spiritum Sanctum per manuum impositionem, Apostolorum instar, dare posset, sacrilega nundinatione ab Apostolis emere, & auri, argenti que pretio licitari tentavit. Qua de causa hic sacrilegus licitator a S. Petro fuit increpitus his verbis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. ... pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Actuum Apost. cap. 8. quibus verbis, quasi repentini fulminis ictu percussus Simon Magus respondit: *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* Non respuit tamen Simon Magus, nec ad meliorem frugem se recepit, quia ementitam dumtaxat exhibuit pœnitentiam. Quare discedens ab Apostolis, ejurato Christianismo, cœpit insitam Samaritanorum animis Apostolicam doctrinam eradicare, & Magicæ arti impensius operam dare, in qua adeo excelluit, ut omnes in stuporem raperet, & in sui admirationem converteret. Relicta dein Samaria, varias perlustravit Provincias, & cum Tyrum Phœnicis Civitatem pervenisset, *Helenam* Quæstuarium & publicam meretricem, sibi sociam adscivit; quam ubique postea secum circumduxit. Tandem, postquam Orientis peragrasset Provincias, Romam appulit; in qua Urbe statuam ipsi positam fuisse cum hac inscriptione: *Simoni Deo Sancto*, Eusebius, Cyrillus, & alii secuti S. Justinum, prodiderunt. Non desunt tamen naris emunctæ hujus tempestatis Critici, qui S. Justinum, hominem Græcum, hac in re fuisse hallucinatum existimant, eumque, cum vulgarem, ac passim extantem Epigraphen legisset: *Simoni Deo Sango*, Simonem pro *Semone* accepisse. Optime siquidem observat doctissimus *Valesius* in animadversionibus Eusebianis lib. 2. cap. 17. statuam illam, quam in Insula Tiberina viderat Justinus, hanc habuisse inscriptionem: *Simoni Sango Deo Fidio*. *Sangus* quippe Deus erat apud Sabinos, qui pactis, & fœderibus præerat, a sanciendo dictus; unde etiam *Deus Fidius* appellabatur a fide, quæ in pactis, & fœderibus servari debet. Quin etiam per hunc Deum soliti erant jurare Romani. Ut ut sit de hoc factio historico, convenit apud omnes, Simonem Magum venisse Romam, ibique suam sectam propagasse, donec Sanctus Petrus Apostolorum Princeps Romam ingressus, pestilentem ipsius doctrinam consutavit, larvam ei detraxit, ac famam, quam apud Populum plus æquo credulorum magicis suis artibus erat adeptus. Quidam auctores quarti & quinti sæculi referunt, Simonem Magum Neroni, tum temporis Imperatori, Populoque Romano suis præstigiis illudere volentem, a malis genis in altum curru igneo vectum per aera, instar alterius Dædali, volare visum esse, sed orante Sancto Petro, ab Stygiis illis vectoribus destitutum protinus in terram corruisse, & fractis cruribus, totoque debilitato corpore misere periisse. Sic extinctus est Simon Magus, ex quo Simonæ fordida pestis, qua

qua spiritalia pro temporalibus vaneunt, nomen sortita est. Occasione istius victoriae, quam Romae de Simone Mago, ex aere, per quem sublimis ferebatur, in terram prostrato, S. Petrus reportavit, obiter observare debes, quam perperam Hæretici negent, S. Petrum venisse Romam, cum tamen id diserte testentur sancti Patres, præsertim Irenæus lib. 7. contra Hæreses cap. 7. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. in Petro, Augustinus lib. de Hæresibus cap. 1. Eusebius lib. 2. hist. Eccles. cap. 13. Epiphanius Hæresi 27. S. Leo sermone de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, & multi alii, quorum illustrium testium suffragiis veritatem munitam in dubium revocare nefas est (a).

„ (a) Nonnulla in vitam Simonis Magi animadvertere hic juvat. Ferunt Simonem Magum statuatam Romæ erectam fuisse tanquam numini cum inscriptione: *Simoni Deo Sancto*, eamque Romæ se vidisse S. Iustinus testatur. Ferunt etiam Simonem in testimonium divinitatis suæ sese in cælum extulisse, coram aspectante populo; sed cum in superiorem aerem, cunctis mirantibus, jam evolasset, S. Petri Apostoli precibus subductis malignis spiritibus eum vehentibus precipiti lapsa in terram corruisse, & ex casu interiisse. Atque hæc simul stare vix posse censeo; quis enim crederet hominem qui seductorem non obscuro argumento sese demonstrasset, & inanem jactatorem, adeo prævaluisse in mentibus hominum, ut post turpem adeo & ignominiosam mortem haberetur Deus, & erecto tanquam numini, simulacro coleretur? Igitur alteram fabellam rejiciamus necesse est; sive Iustinus hallucinatus est, ut pro Simone, qui Deus erat Sabinorum, Simonem legisse dicamus; sive lapsum Magi ad inanes traditiones amandemus oportet.

D. Quinam sunt errores, in quos Simon Magus, ejusque sectarii lapsi sunt?

M. Jactabat ille impostor, se Deum esse Cælo delapsum, ad Judæos quidem, ut Filium Dei; ad Samaritanos, ut Patrem; & ad Gentes, ut Spiritum Sanctum. Præterea, Helenam vulgati corporis feminam suæ mentis primum conceptum esse dicebat, matremque omnium, per quam initio conceperat Angelos, qui postea Mundum, & homines condiderunt. Tertio, Dicebat, se esse Christum, seque figuram dumtaxat hominis assumpsisse, quamvis nec verus esset homo, nec verum haberet corpus, nec vere, sed fictitantum, & specie tenus in Judæa passus fuisset. Quarto, Legem non a Deo, sed a sinistra quadam intelligentia latam esse effutiebatur. Quinto, omnem Prophetis fidem abrogabat. Sexto, Imaginem suam scortique sui Helenæ, sub Jovis, ac Minervæ nomine Discipulis suis adorandam obrudebat. Septimo, Carnis resurrectionem, bonorumque operum necessitatem infrunito ore negabat. Quo factum est, ut ejus Discipuli nullo scæno coerciti impune obscenis voluptatibus laxarent habenas, & promiscuum mulierum usum licitum esse putarent. Denique S. Gregorius Nazianzenus oratione 41. ait Simonem

Magum excogitasse triginta *Æones*, seu *Deos*, ex quo sequitur, Simonem Magum fuisse Prodrum Hæresiarchæ Diacono, cujus errore præformavit, ova scilicet ponendo, quæ deinde Valentinus in secundo Ecclesiæ sæculo exclusit.

D. Hæc errorum monstra, & vana Simonis Magi Commenta probarunt ne multi? Perstititne etiam diu execrabilis illius Hæresiarchæ Secta?

M. Bene multos sectatores, potissimum Samariæ, habuit Simon Magus, dum viveret, & in variis Orbis nationibus complures alios, qui Simoniani dicebantur, in suos pertraxit errores, quorum non pauci ætate S. Irenæi adhuc supererant. Sed Origenes, qui in tertio Ecclesiæ florebat sæculo, testatur, suo ævo paucos superstites fuisse Simonis Magi Discipulos.

Menander, unus e præcipuis Simonis Magi Discipulis, pariter Samaritanus, iisdemque præstigiis deditus, immutatis dumtaxat quibusdam Pseudomagistri sui doctrinæ capitibus, sese peculiaris sectæ ducem constituit, & in primis docuit, se esse Servatorem ad omnium salutem cælitus demissum. Deinde, pollicebatur suis Discipulis perpetuam in hac vita immunitatem a senio, & a morte, quam ipsis per sacrilegum Baptisma, quo illos initiabat, confecti ogganniebat. Hæc Menandri Hæresis multos Antiochiæ habuit sectarios, & ætate S. Iustini adhuc vigeat.

D. Hæresis Simonis Magi est ne revera antiquior omnibus aliis Hæresibus, quæ Christi Ecclesiam infestant?

M. Si Nicolaus, unus e septem nascentis Ecclesiæ Diaconis, esset auctor Hæresis Nicolaitarum, non est dubium, quin illa Nicolaitarum Hæresis esset antiquior Hæresi Simonis Magi. Sed ab hac Hæresi Nicolaum Diaconum merito purgant Clemens Alexandrinus lib. 2. & 3. Stromatum, Eusebius lib. 3. hist. Eccles. cap. 29. & Theodoretus lib. 3. Hæreticarum fabularum c. 23. qui idcirco Hæreticos Nicolaitas falso nomine nuncupatos scribunt, quamvis cæteroquin fateantur, ex quibusdam gestis, dissiive Nicolai Diaconi præteritum eudendæ Hæresis Nicolaitas sumpsisse. At enim, cum iste Nicolaus Diaconus venustam haberet uxorem, eique ab Apostolis fuisset exprobrata zelotypia, in medium adducta sua muliere, permisit cui vellet eam nubere. Addit etiam S. Clemens Alexandrinus hunc Nicolaum dixisse: quod *carne uti oporteat*. Quod Nicolai dictum alii pessimum in exemplum traxerunt; putantes hoc factum, dictoque Nicolai, licitum esse promiscuum cum altero sexu consortium. Quod tamen a Nicolai mente omnino erat alienum: nam dum Nicolaus permisit uxori suæ, ut alteri nubere, id sincero animo non fecit, utpote sciens hoc esse lege Dei districte vetitum, sed id præstitit fictione & simulatione quadam, ut videlicet hoc factum sese palam purgaret a suspitione zelotypiæ, cujus insimulabatur. Similiter, quando dixit Nicolaus: *oportere uti carne*, id more Epicureorum minime intellexit, quasi licitum esset indulgere carni, & corporis voluptatibus inservire, sed potius per hoc dictum significare voluit Nicolaus, sicut ipse mentem explicant supra laudati

Pa-

Patres, quod carnem coercere, frænare, & assidua virtutum exercitatione domare, & spiritui subjicere debemus. A Nicolao igitur Diacono hæc Nicolaitarum Hæresis nec profecta, nec propagata est. Negari tamen haud potest, hanc Nicolaitarum Hæresim antiquam esse, & Apostolorum temporibus coævam.

D. Quinam erant errores, quibus infecti erant Nicolaitæ?

M. Errores primorum Nicolaitarum, qui videlicet Apostolis suppetes erant, non tam fidem spectabant, quam mores, sicut luculenter colligitur ex Apocalypsi S. Joannis cap. 2. v. 6. ubi Deus laudat Angelum Ecclesiæ Ephesi, eo quod odio habeat *facta Nicolaitarum*, & v. 14. loquens Deus Angelo Ecclesiæ Pergami, ait: *Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*. Promiscuam igitur libidinem permittebant primi Nicolaitæ, sicut ipsis exprobrant Sancti Patres Irenæus, & Clemens Alexandrinus. Sed progressu temporis alii orti sunt Nicolaitæ, qui vanis Gnosticorum secundi Ecclesiæ sæculi Hæreticorum præstigiis adhererunt. Isti autem novi Nicolaitæ post Hæresiarchas Saturninum, & Carpocratem prodire dumtaxat ceperunt.

D. Quisnam fuit auctor Cerinthianorum Hæresis? & quinam illorum errores?

M. Cerinthianorum Hæresis auctor fuit Cerinthus, qui, sicut referunt S. Epiphanius in Panario, & Philastrius in lib. de Hæres. varios de Circumcisione, & de Cæremoniis legalium observatione cum sacro Evangelio conjungenda in primordiis Ecclesiæ excivit tumultus, qui in actibus Apostolorum leguntur, & ad quos sapientes Concilium Hierosolymitanum ab Apostolis habitum est. Hunc Hæresiarcham coævum fuisse S. Joanni Evangelistæ constat ex traditione S. Polycarpi Smyrnenfis Episcopi apud S. Irenæum lib. 3. adversus Hæreses cap. 7. dicentis, quod cum S. Joannes Evangelista ad Balneum aliquando venisset, viso, qui tunc eo accesserat, Cerintho, statim pedem retrulit dicendo: *Fugiamus hinc, ne Balneum, in quo Cerinthus veritatis inimicus moratur, subito concidens nos opprimat*. Porro, errores, quos profudit Cerinthus, ad istos revocantur. In primis agebat, Deum non esse Conditorum Mundi. Secundo, blasphemabat, Jesum Fabricatoris Orbis esse filium & merum hominem ex carnali Josephi, & Mariæ consortio procreatum, in quem Christum, idest, Spiritum Sanctum ab ea principalitate, quæ est super omnia, in Columbarum specie ad Jordanem descendit. Unde inferebat, Jesum quidem natum, baptizatum, passum, mortuum, & ad vitam fuisse excitatum, sed Christum, qui in Jesum, dum baptizaretur, illapsus est, impassibilem, mortisque penitus expertem fuisse assererat. Tertio, Cerinthus Acta Apostolorum, & Evangelia rejiciebat, excepto tamen Evangelio S. Matthæi: quod ea parte, qua Jesus ex Virgine natus dicitur, mutilavit. Quarto, legem Mosaicam non a Deo, sed a Fabricatore

Orbis latam esse dicebat, eam tamen cum Evangelio necessario observandam esse, ut salutem quis consequatur. Circumcisionem etiam suscipiendam esse sanciebat. Qua de causa explodebat Epistolam Pauli, quod passim in illis asserat, & inculcet Apostolus Paulus, Christum iis, qui Circumcisionem ad salutem necessariam perpendunt, nihil profuturum. Postremo, Cerinthus falsas revelationes, quasi ab Angelo sibi factas, ostentans, commentus est millenarium quoddam Regnum Christi in terris post resurrectionem justorum, & mille annis ante Judicium Universale, in quo millenario Christi in terris Regno justis per mille annos illicitis carnis cupiditatibus, & obscenis illecebris indulgere, Urbs Hierusalem, & Templum instaurari, præcepta legis Mosaicæ servari, sacrificia, & victimæ juxta ejusdem legis statuta immolari, & homines more Judaico circumcidi debebant. Propter illud millenarium Christi in terris Regnum a Cerintho somnium, ejus Sectatores nuncupati fuerunt *Chilistiæ*, seu *Millenarii*. Non desuerunt quidem aliqui antiqui Patres, & trium priorum Ecclesiæ sæculorum Scriptores Ecclesiastici, qui post Papiam Hieropolitanam Episcopum docuerunt, Christum per mille annos ante Judicium Generale corporaliter cum justis regnaturum in terris. Sed antiqui isti Patres, & Scriptores Ecclesiastici longe lateque discrepabant ab illo tereno Christi millenario Regno, quale admittebat Hæresiarcha Cerinthus. Primo, eo in Regno Christi, justorumque millenario, quod laudatus Papias, & nonnulli antiqui Patres, ac Scriptores Ecclesiastici admiserunt, nulla omnino fit mentio de Templi instaurazione, neque de præceptis legis Mosaicæ adimplendis, neque de sacrificiis, & victimis juxta ejusdem legis instituta immolandis, & mactandis, neque de hominibus more Judaico circumcidendis, quæ tamen omnia in tereno Christi, & justorum millenario Regno futura essutiebatur Cerinthus. Secundo, impius ille Hæresiarcha in Regno Christi millenario effusissimam omnium libidinum intemperiem posuit. At Papias, alique Patres antiqui *Millenarii* dicti, nihil de eo mille annorum Regno docuerunt, atque cogitarunt, nisi sanctum, & honestissimum, omnesque delicias corporeas, quas huic Regno tribuebant, justas, modestas, & honestas fore, sicut sanctum populum decet, ultro profitebantur. Unde antiqui illi Patres istius infesti Cerinthi dogmatis insimulari non debent, cum ab eo longissime abfuerint. Cæterum, illorum opinio de millenario Christi, & justorum in terris Regno semper fuit in Ecclesia cum Orientali, tum Occidentali a saniori SS. Patrum numero repudiata, & tandem in Conciliis Œcumenicis Florentino, & Tridentino proscripta est, eique inusta Hæreseos nota, qui post solemne & decretorium illud judicium propugnandam eam deinceps susciperet.

D. Fueruntne in primo Ecclesiæ sæculo alii Hæretici, præter sectatores Cerinthi, qui docerent, Mosaicæ legis ritus, & cæremonias, Circumcisionemque in primis, cum Christianæ Religionis professione conjungi debere?

M. Idem plane cum Cerintho in primo Ecclesiæ sæculo docuerunt Hæretici Ebionitæ, ita di-

Et

Et ab Ebione illius sectæ Principe, cuius nomen hebraica lingua *Mendicum* sonat. Asserebant siquidem illi Hæretici, Circumcisionem, aliosque legis Mosaicæ ritus non esse in nova lege antiquatos, sed cum Evangelio esse in Ecclesia retinendos & observandos. Secundo, alium etiam palmarem Cerinthi errorem propugnabant Ebionitæ, affirmantes, Christum simplicem, vulgarem, & solum hominem esse ex Iosephi, & Mariæ congressu genitum, ipsumque ante Mariam non extitisse. Hinc Evangelium S. Matthæi, quod, rejectis aliis Evangelii, admittebant, de industria interpolant, demptis videlicet his, quibus Christi Proavorum series, & generatio ex Virgine enunciat. Denique, Mysteria quotannis, in Paschate nimirum, pane azymo, & mera aqua peragebant, & Dominicam diem, præter Sabbatum, celebrabant. Suppositiis etiam libris utebantur, mendaciis, figmentis, & erroribus infartis.

Ab his Hæreticis Ebionitis hæud parum distasse alios Hæreticos, dictos Nazarenos, multi existimant, quia Nazareni, non secus ac Ebionitæ, Mosaicæ legis ceremonias tenebant, & observabant. Sed S. Epiphanius dubitat, utrum isti Hæretici Nazareni putarent, Christum esse purum hominem, an etiam ex Virgine natum? Sanctus vero Hieronymus nullum alium nævum eis impingit, nisi quod, cum crederent in Christum, legis tamen ceremonias servabant. Idem sentit S. Damascenus in lib. de Hæresibus, ubi loquendo de Nazarenis hæc habet: *Nazareni Christum Jesum confitentur Filium Dei, at juxta legem in omnibus vivunt.* Præterea, Nazareni Evangelium Matthæi Hebraicum absolutissimum & integerrimum habebant, sicut testatur S. Epiphanius Hæresi 29. & 30. Sed Ebionitæ Evangelium habebant mutilum & corruptum. Ex quo liquido patet, Ebionitas & Nazarenos non in unam coaluisse sectam. Hi autem Hæretici dicti sunt Nazareni, quia prisci e Judæa Christiani appellati sunt *Nazareni* propter Christum Dominum, qui *Nazarenus* vulgo vocabatur. Isti porro prisci de Judæa Christiani, cum ante excidium Hierosolymitanum, annuentibus Apostolis, ceremonias legis secuti essent, Nepotes eorum, qui trans Jordanem habitabant, pristinos mores, & potissimum Circumcisionem retinuerunt, unde cum nullo pacto a lege Mosaica divelli postea possent, sed eam cum Evangelio ad salutem necessario observandam esse pertenderent, tanquam Hæretici ab Ecclesia rejecti sunt. Sed hæc de Hæresibus, quæ in primo Ecclesiæ sæculo grassatæ sunt, dicta sufficiant.

D. Veniamus igitur nunc ad Hæreses, quæ Ecclesiam secundo Christiani nominis sæculo exagitarunt.

M. Ex inferis secundo Ecclesiæ sæculo eruperunt Hæreses Gnosticorum, Adamitarum, Cainitarum, Sethianorum, Cerdonianorum, Marcionitarum, Apellitarum, Valentianorum, Tatianorum, seu Encratitarum, Montanistarum, Theodoti Coriarii, Artemonis, Hermogenis.

D. Exponas mihi, quæso, quid sibi velit istud Gnosticorum nomen?

M. Gnostici dicti sunt ἀπό τῆς γνώσεως seu a cognitione, & scientia, quam ejusmodi Hæretici præ cæteris sibi arrogabant. Hos Hæreticos Sanctus Paulus 1. ad Timotheum cap. 6. v. 20. luculenter indigitat, dum eum monet, ut devitet prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ (græce γνώσεως) quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. In hac fabularum, Genealogiarum scientia, quam hæc in Epistola merito carpit Apostolus, toti versabantur Gnostici. Quippe qui *Æonum*, seu Deorum Syzigias, seu conjugationes, in deitate fingebant, quorum alii aliorum soboles essent, quorumque postremus Mundi istius aspectabilis opifex esset. Hinc dicebant, Conditorem hujus Mundi non esse Deum, sed nomen Dei sibi arrogasse, eumque Judæis dedisse legem, & Prophetis adspirasse; Patrem vero, ut ejus Imperium everteret, misisse Jesum Salvatorem Christum, qui Testamentum aliud cum electis sanciret. Negabant idem Hæretici, Christum veram carnem accepisse, & de Maria natum, sed per Mariam dumtaxat ostentat gariebant. Carnis resurrectionem inficiabantur. Libros pene innumeros sub eminentis nominibus obtrudebant, videlicet Evangelia Evæ, Salomes, Petri, Jacobi, secundum Hebræos, secundum Ægyptios, conciones Petri & Pauli; libros item de Infantia Salvatoris, Noeræ uxoris Noemi, Prophetas Pachor, seu Barceph, Cham, Zoroastris, Hydaspis, Ostranis, Orphei, & aliorum, de quibus Porphyrius queritur in vita Plotini. Jam vero infinitus essem, si Gnosticorum spurcicias, propter quas primi Christiani apud Gentiles male audiebant, ut referunt Irenæus l. 1. c. 24. Eusebius l. 4. Hist. Eccl. c. 7. & S. Epiphanius Hæresi 27. hic enarrare vellem. Breviter dicam, ejusmodi Hæreticos nomine quidem Christianos fuisse, sed re turpissimos dæmonis fautores. Obscenis siquidem voluptatibus dediti nulla libidinum monstra illicita esse putabant. Promiscuum mulierum usum, & libidinum furias in sexus, & in corpora permittebant; eoque impietatis devenit sacrilega eorum temeritas, ut infantulum recens natum minutatim in mortario contunderent, pipere, melle, & aromatibus condirent, eoque, pro scelus! in modum cibi Eucharistici vescerentur. Hinc, ut optime observat S. Augustinus in l. de Hæresibus ad *Quod vult Deum*, varia inter nomina, quibus Gnostici per diversas terrarum partes aliter atque aliter appellabantur, nonnulli eos *Borbonitas* vocabant, quasi *Cænosos*, ob mimiæ turpitudinem, quam in suis mysteriis exercebant. Ex hac Gnosticorum Hæresi, velut ex mala radice, pullularunt quinque pessimi furculi, seu Sectæ, *Adamitarum*, *Cajanitarum*, *Ophitarum*, *Sethianorum*, & *Carpocratianorum*, quæ Sectæ late diffusæ in quarto adhuc Ecclesiæ Sæculo serpebant.

D. Quorsum isti Hæretici dicti sunt *Adamitæ*, *Cajanitæ*, *Ophitæ*, *Sethiani*, & *Carpocratiani*? & quinam fuerunt eorum errores?

M. In

M. In primis, *Adamitæ* dicti sunt illi Hæretici, qui in suis conventiculis, omni plane pudore deposito, sacrilegos suos ritus nudi obibant; promiscuo concubitu & uxorum communione, belluarum instar, inverecunde utebantur; nuptias averfabantur; continentiam damnabant; & tamen, si superis placet, Ecclesiam suam tam impuris mysteriis deformem *Paradisi* nomine exornabant, quia in ea nudi viri, ac femine prostabant, sicque primam Adam in orto voluptatis conditionem turpiter repræsentabant. Inde est, quod suæ Sectæ homines, quos punire volebant, a sua Ecclesia extruderent, tamquam Adamum e *Paradiso*.

Cajanitæ, dicti sunt illi Hæretici, qui Cainum primogenitum Adami filium, miserumque Abelis fratricidam singulari veneratione colebant. Distinguebant siquidem illi Hæretici duplicem virtutem, superiorem unam, quam *Sophiam*, seu sapientiam appellabant, & inferiorem alteram, a qua Mundum conditum esse affirmabant. Qua posita distinctione, dicebant, Abelem fratrem Caini ab inferiori & imbecilliori virtute prodidisse; Cainum vero, Esau, Core, Dathan, Abiron, & Sodomitæ, ad superiorem virtutem pertinere putabant, eosque laudibus efferebant, quod legem præfracte violando fabricatori Orbis ad versus sese præbuisent. Unde opera Creatoris destruerent, ejusque legem violare maximo & perfectionis, & gloriæ loco ducebant. Insuper Baptismi ad consequendam salutem necessitatem, & Carnis Resurrectionem negabant. Judam Christi proditorem adorabant, quod distarent, eum, prodendo Jesum Christum, in causa fuisse, ut virtutes Mundi, quæ saluti hominum obfisterent, vincerentur; sicque salutis nostræ consuluisse. Denique, isti Hæretici in omnem libidinem effusi propudiosam, & nefandis sceleribus conspurcatam vitam ducebant.

Ophitæ, ita appellabantur Hæretici a voce ὄφης, idem significante, quod Latine *Serpens*. Adorabant quippe Serpentem, qui, ut refert S. Augustinus, e spelunca, in qua alebantur, incantante Sacerdote, egrediens, & Altare serpente adiens, panes ibi oblatos lambere; eumque gyrantem isti Hæretici deosculabantur. Quo peracto, & ad suam speluncam Serpente reverso, Cultores ejus panes in Eucharistiam oblatos confringebant, quos ab isto Serpente sanctificatos putabant. Quidam antiqui tradiderunt, istos Hæreticos existimasse, Christum Serpentem illum fuisse: Sed id certo non constat, immo in Appendice ad librum Tertulliani de præscriptionibus legitur, illos Hæreticos Serpentem pluris, quam Christum fecisse. Origenes l. 6. contra Cellsum ait, neminem in Sodalitium Hæreticorum Ophitarum fuisse admissum, nisi *Jesum ante excrassetur*. Auctorem illius Hæresis fuisse quemdam *Euphratem* observat idem Origenes.

Sethiani Hæretici ita cognominati sunt, quod *Sethum* Adami filium existimarent esse Christum. Duo siquidem admittebant hominum genera, quorum unum haberet parentem *Cainum*, alterum a *Setho* duceret originem. Testatur S. Epiphanius, ejusmodi Sectas *Cajanitarum*, *Ophitarum*, & *Sethianorum* fuisse ipsius ætate ferme extinctas; a *Graves. Hist. Tom. 1.*

liquos tamen Hæreticos Sethianos se in Ægypto reperisse ait.

Carpocratiani suum traxere nomen a quodam *Carpocrate*, qui non Asiaticus, ut visum est S. Joanni Damasceno, sed Alexandrinus erat, uti perhibent Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, & Theodoretus. Hæc Hæresis sub Aniceto Pontifice, & Hadriano Imperatore, opera *Marcelline* pestilentis femine, Romæ innouit; unde *Marcelliani* quoque dicti sunt illi Hæretici, sicut narrat Origenes lib. 5. contra Cellsum. *Carpocras* illius Sectæ auctor in istos errores prorupit. Primo, ad omnia turpitudinis & flagitiorum genera, quæ pudor commemorare vetat, Discipulos suos informabat. Deinde, docebat, Mundum non a Deo, sed ab Angelis conditum fuisse. Tertio, Carnis resurrectionem negabat. Quarto, Christum esse purum hominem, & ex Iosepho, ac Maria, cæterorum hominum more, natum esse blasphemabat. Quinto, nihil natura malum esse perindebat, sed tantum juxta arbitrium & opinionem hominum, quædam bona, quædam mala vocari. Sexto, Transmigrationem animarum in corpora admittebat. Septimo, Imagines Christi, Paulique, cum Imaginibus Homeri, Pythagoræ, Platonis & Aristotelis Discipulis suis exhibebat, ut eas suffitibus, & adoratione prosequerentur. S. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum scribit, *Carpocratem* habuisse ex uxore sua, *Alexandrea* dicta, filium appellatum *Epiphanem*, qui in Platonicâ institutus disciplina fabulas patris sui amplificavit, cumque septemdecim annos natus in Cephaleia patria sua obiisset, divinos ibidem obtinuit honores.

D. Certe mirari vehementer subit, quod homines id ætatis sic insanirent, ut vana hæc paradoxa, & absurda Hæreticorum deliramenta, quæ retulisse, abunde refutasse est, tam lubenter auscultarent, eique fidem, & assensum præberent.

M. Omnes isti errores, alique id genus, de quibus deinceps sermonem instituemus, ortum habuerunt ex falsis Ethnicorum Philosophiæ principis, necnon ex quibusdam mysticis, allegoricis & detortis sensibus, ad quos nonnulli male feriat & emotæ mentis homines Scripturam Sacram cum veteris, tum novi Testamenti præpostere proprio arbitrio deflectebant. Quin, quod satis festivum, ac lepidum est, quo absurdius, & a sensu, intelligentiaque hominum magis remotæ tum temporis spargebantur opiniones, eo pronioribus vulgi auribus, animisque promptioribus excipiebantur. Tanta enim audacia, tamque elato supercilio isti Hæretici sua deliria, tanquam arcana altissima, & a sæculis inaudita mysteria quasi ed tripode proferebant ac venditabant, ut simplices, & incauti hamum confestim vorarent, sorberentque sibi propinatum virus.

D. Perge porro alias secundi sæculi enarrare Hæreses.

M. Hæresis *Elcesaitarum*, cujus meminit Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 38. ita dicta est a quodam *Elcesa* Arabe, ut scribit Theodoretus, qui Propheta audire voluit, & librum quæ-